

RECENSIO

UNIVERSI CLERI DIOECESIS QUINQUE-ECCLESIENSIS,

DISTINCTE A TEMPORE AMOTÆ CUM EXITU SE-
CULI 17-MI TIRANNIDIS TURCICÆ, RESTITUTÆ-
QUE IN HIS PARTIBUS TRANQUILLITATIS, USQUE
AD PRAESENS TEMPUS, COMMENTARIIS HISTORI-
CIS ILLUSTRATA,

PER

Josephum Brüsztle,

PAROCHUM OLASZENSEM IN DIOECESI QUINQUEECCLESIENSI.

Tomus IV.



QUINQUE-ECCLESII,
TYPIS ANDREAE MADARÁSZ (SIGISMUNDI SIMON)
1880.

CXXXIX.

Parochia Siklós.

(Comitat. Baranya)

3439.

Áldj meg minket, magyaroknak

Hatalmas nagy Istene!

Oltalmában ne vétessen

A magyarnak ellene

Sem kelet sem nyugot mérge,

Sem árulás belső férgé!

Sem irigység ingere,

Sem az önkény fegyvere!

Kiafaldy S

Decimotertio christiani nominis seculo floruit in comitatu Baranya abbatia SS. Trinitatis de *Schuklos* sive de *Siklós*, cujus auctor Julia banus, vel alter hujus progeniei fuisse dicitur, annus tamen foundationis ignoratur. Magister Petrus, filius comitis de Schuklos publico instrumento testatur, abbatiam hanc ab observantia regulae deflexisse, eandem itaque anno 1303. ordini Benedictinorum ademptam sacro ordini Cisterciensium, abbati S. Crucis in Austria subjectorum conferre meditatus est. Monasteriologia Fuxhofariana arbitratur: abbatiam hanc ad ordinem Cisterciensium nunquam fuisse translata; assertumque suum probatura sequentibus prosequitur argumentis et conjecturis: „Facile fieri poterat, ut monasterium

Siklosiense aliquantum in Regulae observatione remiserit, ea est enim hominum sors, ut sensim omnia tepescant. Sed ut pristina Ordinis S. Benedicti observantia restabiliatur, jam seculo priori inde ab anno 1225. et decursu seculi 14-i plura capitula generalia Ordinis Benedictinorum fuerunt celebrata, et statuta ibidem condita, institutis frequentibus monasteriorum severissimis visitationibus pro regulari observantia reducenda. Quo pacto etiam Siklosiense monasterium semet novis statutis conformavisse, seque reformavisse argumento est, quod teste P. Theophilo Heimbo, Ordinis Cisterciensium ad S. Crucem in Austria professo, nullum in Tabulario S. Crucis existat vestigium, e quo eluceret Ordinem Cisterciensium in possessionem abbatis Siklosiensis pervenisse; atque etiam, quod posteriora in archivo S. Martini de hac Abbatia, tanquam semper Benedictina praesto sint documenta. Ita Thomas Abbas SS. Trinitatis de Siklós inter Abbates Benedictinos recensetur, qui ad concilium Constantiense, teste doctissimo Benedictino congregationis S. Mauri in Gallia, Gerardo D'Archery, cum Nicolao de iuxta Grón, Francisco de Kapornak, et Demetrio de Tihan Abbatibus profectus est, eique anno 1414. interfuit, et anno 1515. Blasius Abbas S. Trinitatis de Siklós in publico instrumento qua Ordinis Benedictini Abbas comparet. Cum igitur clarum sit, Magistrum Petrum voto suo excidisse: opinari licet, eum non tepescentis observantiae regularis causa, sed aliis principiis ad illegalem et praefervidam hanc voluntatem fuisse provolutum. Facile nempe accidere potuit, ut e communionem bonorum, et possessionum vicinia quaequam decerpere, et sibi usurpare, aut quod propter ius Patronatus ampliora quam

par erat, et plura homagia sibi praestari voluerit, quam leges patriae admitterent, et mos humanitatis deposceret; ideoque ad vanas has iras descenderit. Alioquin in potestate cujuscunque privati non est, pias antecessorum foundationes pro lubitu auctoritate propria permutare; praesertim, si hae Decretis Regum firmatae, et longo usu sint roboratae; qualem et hanc fuisse indubium est.^{a)}

Pro certo itaque tenent historici: Benedictinos a tempore foundationis hujus abbatiae ad annum usque 1543. quo arx et oppidum in Ottomanorum pervenit potestatem, in monasterio SS. Trinitatis commoratos, ac tunc nonnisi exturbatos, ampliusque haud reversos fuisse. Monasterium hoc penes ordinem S. Benedicti perstitisse seculo decimoquinto jam versus finem labente, testatur Sixtus PP. IV. per quinarias suas literas, quibus Antonium electum Megarensem monasterii SS. Trinitatis commendatarium constituit sequenti bulla:

a.) *Ad ipsum Antonium commendatarium*: Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto filio Electo Megaren. Salutem et Apostolicam Benedictionem Romani Pontificis providentia circumspecta singulis Ecclesiis et Monasteriis, ne diutine vacationis incommoda sustineat, sed gubernatorum utilium fulciantur, presidio, prospicit diligenter, et Ecclesiarum ipsarum, ut in suis opportunitatibus competens suscipiat relevamen, de subventionis auxilio, prout decens est, providet opportuno. Sane *Monasterio Sancte Trinitatis Ordinis Sancti Benedicti Quinqueecclesien. Diocesis*, quod ex concessione et dispensatione Sedis Apostolice

a) Czinár. I. 275.

nuper in commendam obtinebas, illius commenda tunc ex eo, quod Nos hodie de persona tua Nobis et Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta Ecclesie Megaren. certo modo, quem pro expresso haberi volumus, Pastoris solatio destitute de ipsorum Fratrum Consilio per quasdam providimus Teque illi prefecimus in Episcopum et Pastorem, nec non per alias nostras literas commendam hujusmodi per solam perfectionem eandem cessare decrevimus, prout in illis plenius continetur, per decretum hujusmodi cessante adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacaverat, modo vacante Nos verum et ultimum dicti Monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quevis generalis reservatio resultet, presentibus pro expresso habentes, ac tam eidem Monasterio de Gubernatore utili et idoneo, per quem circumspecte regi ac salubriter dirigi valeat, quam Tibi, ut Statum tuum juxta Pontificalis Dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicujus subventionis auxilio providere volentes, Monasterium predictum Tibi per Te una cum Ecclesia Megaren., quoad vixeris, ipsique Ecclesie prefueris, tenendum regendum et gubernandum ita, quod de ipsius Monasterii fructibus redditibus et proventibus debitis et Consuetis illius ac dilectorum filiorum Conventus ejusdem supportatis oneribus disponere et ordinare libere et licite valeas, sicuti alii ipsius Monasterii Abbates, qui fuerunt pro tempore, et de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti Monasterii Tibi penitus interdicta, de dictorum Fratrum Consilio autoritate Apostolica commendamus curam regimen et administrationem ipsius Monasterii tibi in

Spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod per Tue circum-
spectionis industriam et studium fructuosum gratia Domini Tibi assistente propitia dictum Monasterium regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem Spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod propter commendam hujusmodi: cultus divinus ac solitus Monachorum ac Ministrorum numerus in dicto Monasterio nullatenus minuat, quodque antequam regimini et administrationi dicti Monasterii in aliquo Te intromittas, in manibus Venerabilis Fratris Nostri Episcopi Bosnen. Fidelitatis debite solitum prestes juramentum juxta formam quam sub Bulla nostra mittimus introclusam, cui per alias literas nostras mandavimus, ut a Te nostro et Romane Ecclesie nomine hujusmodi recipiat juramentum. Quo circa discretioni tue per Apostolica Scripta mandamus, quatenus curam regimen et administrationem hujusmodi per te vel alium seu alios sic geras sollicite fideliter ac prudenter, quod dictum Monasterium utili gubernatori et fructuoso Administratori gaudeat se commissum, Tuque perinde preter eterne retributionis premium nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo Quadringentesimo octuagesimo, sexto decimo Kalendas Junii, Anno nono.¹⁾

In eadem bulla continuative scribit 2-do ad religiosos ordinis S. Benedicti in monasterio SS. Trinitatis hisque significat Antonium, electum Megaren-

¹⁾ Koller IV. 423. et seq.

sem, ex concessione et dispensatione sedis apostolicae, ceu commendatarium in administrationem hujus monasterii inductum ab ipsis debito honore et veneratione excipiendum esse etc. Idem inculcat 3-io universis vasallis dicti monasterii SS. Trinitatis. Porro insinuat 4-o episcopo Quinqueecclesiensi Sigismundo, hujusque favori commendat dictum commendatarium et commissum ipsi monasterium. Demum 5-o rogat regem Hungariae, ut saepefatum Antonium benignitate gratiaque regia prosequatur.²⁾

Haud satis aperta est autem deliberatio de primo hujus monasterii situ, quinimo hic seculo saltem 14-o in ipso loco Siklós minime quaerendus fore dignoscitur. Regestum enim collectae decimae papalis multum occupatur sacerdote, item *priore* de Siklós, ast aperte ibi enunciat: hunc fuisse ordinis *Superpelliciatorum*, de abbate autem vel monasterio ord. S. Benedicti nominatim de Siklós altum tenet silentium; sic enim in hac collectione habetur: anno 1333. *Sacerdos de Suchleus; Prior de Kykeus*; — in altera hujus anni solutione: *Jacobus Sacerdos de Soglos*; item *Prior de Ordine Superpelliciatorum de Soglos*; — 1334. *Jacobus de Soglos*; item *Jacobus de Goglos*; — 1335. *Jacobus de Boclas* (puta Soglos); item *Prior de Suclos*. Abbatis porro „de Sancta Trinitate“ binis vicibus anno 1334. fit mentio, quin tamen quicumque nominaretur locus. Cum autem certum sit, abbatiam hanc SS. Trinitatis successivis temporibus axioma de loco Siklós mutuasse; ordinem vero Benedictinorum ipso expugnationis oppidi tempore ibi reapse sedem tenuisse, idcirco autumandum: sedem abbatis primi-

²⁾ Ibidem.

tivam in vicina Siklosio plaga, (in hodierno praedio Trinitás, uti inferius in parochia Vókány exponetur), collocatam, postmodum ad ipsum oppidum translocatam fuisse. E documentis camerae regiae eruitur: abbatem SS. Trinitatis anno 1283. solenni intercessisse protestatione molimini comitis Nicolai filii Gyulae, qui eotum *monasterium de Baich*, pro eremitis ordinis S. Pauli exstruere intendebat.³⁾ Coenobium istud Paulinorum, adversante licet abbate Benedictinorum, tamen in effectum deductum exstitit, ad cuius uberiolem definitionem antequam progredieremur, juvabit enumerare quorundam abbatum SS. Trinitatis nomina, prout ex scriptis cameraticis erui poterant:

1. **Martinus.** (1392.)

2. **Thomas.** (1414.)

3. **Petrus.** (1432.)⁴⁾

4. **Blasius.** 1515. Hi fuerunt ex ipso ordine S. Benedicti. Cessante autem anno 1543. hac abbazia, exturbatisque isthinc viris religiosis, titulus duntaxat abbatis SS. Trinit. de Siklós dignis personis ecclesiasticis e clero seculari collatus est; quales reperiuntur:

5. **Franciscus Babóthy**, natus *Tyrnaviae*; 1603. dominica 2. post Epiph. minores ordines, die autem 25. Mart. 1611. presbyteratum suscepit, ejusd. anni 2. Maji parochus nominatur in *Gutta*; 27. Junii 1612. in Vág-Szerdahely; 1614. 14. April. canonicus Posoniens. 10. Sept. 1623. abbas *SS. Trinit. de Sik-*

³⁾ I. Rupp. M. orsz. helyrajzi tört. I. 411.

⁴⁾ Rupp.

lós creatus; 7. Febr. 1724. canon. Strigoniens. resolvitur. † 1632. Tyrnaviae.⁵⁾

6. Thomas Bielavi, in synodo provinciali anno 1638. inter alios pro directoribus constitutos legitur: Thomas Bielavius Abbas SS. Trinitatis *prope Siklios*, una canonicus Poseniensis; qua talis in eadem synodo subscriptus.⁶⁾

7. Joannes Bény, in capitulo Jaurinen. canonicus, 1631. archidiaconus. Pápaensis, tardius cathedralis. et abbas SS. Trin. de Soklyós, 1641. praepositus major, qua talis in synodo nation. 1648. subscriptus; tandem electus. eppus Noviensis. † Jaurini 28. Octobr. 1659.⁷⁾

8. Georgius Szuppanich, ab anno 1639. canonicus Jaurin. † 1671.

9. Franciscus Kasza, ex capitulo Weszprimiensi ad Jaurinense translatus, qua custos et abbas de Siklós † 1681.

10. Martinus Jaeger, e capellano fit 1668. canonicus. Jaurinen. tardius abbas de Siklós; 1687. lector capituli. † Jaurini 2. Januar. 1702.

II. Franciscus Mikos, anno 1695. e parochia Lébeny-Sz.-Miklósensi canonicus. Jaurinen. † qua lector 1716. 5. Martii.⁸⁾

Tardioribus temporibus hoc titulo ornati extiterunt:

1796. **Georgius Karaba** canonicus. tum praepositus major Rosnaviensis.

1817. **Franciscus Segenpecher**, parochus oppidi Óvár; † ibid. 28. Oct. 1842.

⁵⁾ Palkovics. — ⁶⁾ Péterffy II. — ⁷⁾ Archiv. Jaurin. — ⁸⁾ Archiv. Jaur.

1847. **Nicolaus Cherier**, canon. Posenien. ex nobili familia Galliae in Hungariam commigrante 1790. 8. Januar. in *Nagy-Ósz* comit. Torontál. ortum habuit; gymnasialia Quinque-Ecclesiis, M.-Varadini et Szege-dini magna cum laude, prout etiam cursum philosophi-cum absolvit, inter alumnos dioec. Csanáden. relatus, theologiae Pestini in centrali seminario studuit, lau-ream e sacra hac disciplina reportans. Assumptis 1813. ordinibus sacris cooperatur primum in *Zsombolya*, tum in aula eppali applicatus. Per primatem Alexandrum Rudnay 1819. in gremium archidioecesis susceptus, professor ordinarius mathes. et geometr. Tyrnaviae constituitur. Anno 1844. canonic. Poseniens. 1847. abbas SS. Trinit. de Siklós renunciatus, fuit vir vas-tae doctorinae ac latae experientiae, qui plurium ope-rum eruditorum exstitit auctor. † Posenii 1863.^{b)}

1863. **Martinus Pécsy**, in oppido *Szigetvár* 21. Octob 1799. progenitus, studia gymnasialia Quinque-Ecclesiis perfecit, philosophiae vero et theologiae Zagrabiae operam navavit, ordinatus 30. April. 1822. presbyter illius dioecesis. Primum in reg. nobilium convictu unius cameradae praefectus et linguae hun-garicae supplens professor, subin ut cooperatur dis-ponitur ad *Dubovac* pone Carlostadium, hinc in *Osterc* confinii militaris loco parochus nominatus, anno 1836. in eadem qualitate *Vugram* prope Zagrabiam transfertur, una v. a. d. constitutus. Anno 1854. capi-tuli Zagrabiensis canonicus, 1860. archidiaconus de Vaska, 1863. 22. Sept. abbas SS. Trinit. de Siklós resolvitur. Die 18. Mart. 1868. *Zagrabiae* obdormivit in Domino, aet. 69.

b) Magy. Irók et Ismerettár.

Eduardus Kaczvinczky, v. a. d. et parochus *Bártfaensis*, abbas de Siklós 10. Aug. 1868. nominatus.

* *

Intra septa hujus parochiae existit praealtus mons Harsány, in cujus pede protenditur sat amplus locus acatholicorum *Nagy-Harsány*, nuper oppidi axiomate decoratus. In cacumine hujus montis olim arcem exstitisse tum vestigia ibidem hodie quoque cernua, quum et documenta literaria sufficienter doceant. Anno 1339. die 2. Maji Carolus I. rex Hungariae Nicolao, filio Joannis, vice-castellano de Harsan committit: ut in causa sanctimonialium de insula leporum cum episcopo Quinqueecclesiensi de metis in comitatu de Baranya existentium, sanctimonialibus quatenus aequitas postulet, ope et opera adsit. Hujus montis et arcis mentionem facit Antonius Wranich episcopus Quinqueecclesiensis in descriptione itineris anno 1553. instituti, ubi refert: „montem quendam altum et acutum versus Civitatem Quinqueecclesiarum conspeximus, quem cum rogassemus, quisnam mons esset, accepimus *Harsanum* ab indigenis vocitari. De quo mira narrabat meus collega Zay, quae a veteribus accepta in hodiernum diem miraculi vice referri solent. Esse in ejus cacumine pervetustam et jam desolatam Arcem, in eaque puteum superesse profundum et cavernosum etc. (v. Rec. I. 401.)

Sed insuper habetur documentum de anno 1249. quo Rex Bela IV. Nicolao comiti de Dobicha, magistro tavernicorum, donans montem Sársomlyó (Saarsumlu) nuncupatum, in comitatu de Baranya, pro castro satis utilem, ubi ipse castrum sibi exstru-

xit, contulit eidem etiam terram castrensiarum regionum de Baranya, nomine *Harsan*, sub pede ejusdem montis existentem.^{a)}

In proxima hujus montis vicinia, adeoque in hodierno territorio hujus parochiae existit condam *monasterium OO. SS. de Baych ordinis eremitarum S. Pauli*, de quo sequentia notari merentur: Circa annum Domini 1283. comes Nicolaus filius Jule construxit hoc monasterium ad honorem OO. Sanctorum, et consecrari facere volebat; sed abbas de SS. Trinitate contradixit. Vide in literis capituli Quinqueecclesiensis et Joannis Gara filii Palatini. In hujus Joannis literis habetur: quod ad montes, in quorum convallio dictum coenobium est fundatum, personaliter accedendo, a jugeribus terrarum arabilium super montes a parte montis *Harsán* secus viam, versus partem occidentalem existentem inclusive incipiendo, totam terram ac silvas penes eandem viam, a plaga septentrionali usque ad aliam viam ad ecclesiam *S. Crucis* descendendo existentem et adjacentem ab usibus jobagyonum suorum sequestrando ecclesiae omnium Sanctorum donavit anno 1410.

Anno 1300. Laurentius filius Andreae de Villa Kerthvéles quoddam foenetum suum vendidit huic pro una marca denariorum. Quod quidem foenetum est ante eandem villam a septentrione situatum.

Anno 1394. Magister Joannes Canonicus ecclesiae B. Joannis Baptistae de Castro 5.-Ecclesiensi vendidit huic monasterio pro XX. floren. quamdam sessionem suam in possessione *Nagyfalu* habitam, cum molendino et aliis pertinentiis. Exstant lit. Capli. 5.-Eccles.

^{a)} Fejér IV. 2. 49. et seq.

Anno 1430. relictæ quondam Domini Joannis de Gara donavit huic universas et singulas vineas in *Tótfalu* habitas, quas sibi maritus suus idem testamentaliter legaverat.

Anno 1446. Emericus de Haraszty, ac nobilis Ursula consors sua donaverunt huic directam medietatem cujusdam foenilis in territorio ejusdem possessionis *Haraszty* retro quandam silvam Tors vocatam penes possessionem Sywllewd.

Anno 1457. regius consensus emanavit super donationem Egregii Thomae de Od Castellani Castri Csewrewgh vocati, qui donavit huic totalem suam portionem in possessione *Nagy-Peterd* vocata existentem cum Curia sua propria, nec non tributo inibi exigi solito.

Anno 1459. a tempore Domini Ladislai de Gara portiones possessionarias de *Villyám* nobilium Joannis Thawasz, Philippi, Blasii et Thomae de Villyám Patris Martini literati, ac Joannis Sáray possederunt fratres heremitæ de Baych.

Anno 1472. Valentinus Porkoláb magister Janitorum Magnifici Domini Job de Gara testamentaliter legavit huic portionem suam possessionariam in Gyeörös habitam, quam scilicet a Blasio Forys emerat cum Telekrend et Réghszél; item cum terris arabilibus et tributo seu vado in fluvio Dravae, signanter una sylva Cser appellata, et cum tribus molendinis ac vinea. Extant literæ testamentales in uno instrumento Antonii Presbyteri.

Anno 1483. Rex Mathias donavit huic monasterio possessionem *Tóthfalu*, et unam domum in *Soklyós*, in cujus pacifico dominio erant iidem heremitæ.

Extat regius consensus et literae statutoriae sine contradictione.

Anno 1505. Stephanus Kesseőró donavit huic monasterio pratum seu foenetum suum de insula sua, quod vocatur Szegheletfeöld.^{a)} — Koller situm hujus monasterii non novit.

*
*
*

Oppidum Siklós cujus locum olim *Serena* urbs romana tenuit, seculo 14-o inclinante dominum suum reverebatur Nicolaum Gara palatinum; extincta vero hac familia in possessionem Joannis Corvini, subin ejus viduae, hujusque secundi mariti marchionis Georgii Brandenburgici devenit, donec tandem Emericus Perényi idem obtineret dominium.^{b)}

Castrum Siklós supra oppidum elevatum, rupi insistens, in tota versus meridiem et occidentem planitie a procul conspicuum per familiam Gara restauratum existit, de ejus autem conditore aut erectionis tempore nihil nobis proditum est. In castro hoc cum fine anni 1399. vel juxta alios, initio sequentis detinebatur per aliquot mensium spatium *Sigismundus rex Hungariae*; cujus rei eventum Georgius Papánek, coetaneum scriptorem Eberhardum Windeck, Sigismundi regis familiarem secutus, sequentibus absolvit: „Sigismundus adversos suorum animos insigni aliquo facinore sibi conciliaturus toto pectore in bellum Turcicum incubuit, conscripto anno 1396. ex Hungaria exercitu, multisque e Gallia, Belgio, Bohemia auctus suppetiis, accelerato itinere paucos intra dies Bulgariam ingressus est. Ubi fugatis Turcarum copiis ma-

a) Act. Paulinor. ex archiv. camer.

b) Rupp.

jorem Nicopolim obsedit. Bajazetes IV. Kalendas Octobris acie ex ritu gentis disposita, Christianos summa vi adoritur: pertinacissima dimicatio oborta, victoria inter utramque aciem diu alternante; donec Bajazetes victoria et castris potitus fuit. Sigismundus tenui naviculae salutem debuit, qua secundo Istro devectus, varios post errores Constantinopolim incolumis tenuit. Vulgata ejus cladis per Hungariam fama, cum Sigismundus nuspiam appareret, pro certo mac-tatum eum a Turcis fuisse, ferebatur. Itaque nihil expectandum rati Hungari, de novo Rege eligendo cogitant. Haec inter suorum consilia Sigismundus maritimo itinere per Dalmatiam omnibus improvisus adfuit, cognitoque rerum suarum discrimine, ocius in Hungariam, inde vero in Bohemiam auxiliorum causa tetendit. In Hungariam redire maturavit; sed eo jam Hungarorum odia processerant, ut Budae armati aulam subierint, Regemque Sigismundum comprehensum in arce, Germanis Blindenburg, Hungaris Wissegrad, carceri mancipaverint, exilio subinde mul-tandum. Facinoris hujus vel furoris causam narrant severitatem, qua in refractarios usus fuerat, ac, quod omnium ferebant gravissime, intemperantem ejus libi-dinem, quae post Conjugis obitum, nobilissimos tho-ros virginesque invadebat, quo uno vitio laudes ceteras obscuravit. Existente in custodia Wissegradiensi Rege, Nicolaus Gara, qui comes fugae per Istrum mareque fuit, pro insigni sua in legitimum Regem fide, omni conatu Proceribus svadere adlaboravit, ut Sigismundum traderent ad suam arcem Siklosiam transferendum, quod fuis multis precibus impetravit, summoque studio egit cum Hungariae Proceribus, ut sublatis odiis, eosdem ad Regis sui obedientiam revo-

caret, commemorata facinoris, quo se obstringebant, atrocitate, ac una gravissimis, quae e novi Regis operatione imminebant, calamitatibus ob oculos positis, plerosque facti poenitentia pacisque desiderio complevit. Eo itaque arbitro, delata popularium ad Sigismundum postulata, examinataque sunt: postquam pacis ineundae conditiones utrinque fuissent probatae, promissaque reis omnibus venia sine mora Proceres Sigismundo summo cum honore e Siklosia arce, in qua prope quinque menses exegerat, educto pristinam restituere dignitatem.^{a)}

Fessler totum captivitatis Sigismundi interval- lum ad sex extendit menses, nimirum cum exitu mensis Aprilis 1401. Vissegradum deportatum, cum fine Octobris e. a. dimissum fuisse.^{b)}

Sigismundum in hocce castro bene tractatum fuisse, nulli subjacet dubio, quinimo per familiarem sibi Eberhardum episcopum Zagrabiensem, propriis hujus praesulis proventibus sustentabatur, uti Fessler narrat. In quodam arcis hujus cubili in saxo camini haec quidem Sigismundi inscriptio legi potuit, quae nostris etiam temporibus conspicuam se nobis prae- buit: „*Misit Deus misericordiam suam super me, et eripuit me de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus.*“ Ast inscriptione hac rex non Siklósiensem, verum Vissegradensem denotat carcerem; nam arx Siklós non fuit ei carcer, sed asylum, locus securita- tis, libertatisque refugium.

Ad dynastiam familiae Gara circa annum 1495. uti instrumenta statutoria in tabulario dominií Siklós asservata testantur, sequentia spectabant loca: oppi-

a) Papánek, Geogr. descrip. comit. Barany.

b) t. II. 142.

dum Siklós in cottu Baranya; possessiones Csakova, Kis-Harsan, Thytewb, Maroth-falva, Vasaros-Boja, Veythe, Fel-Falu, Martha-Falva, Nagy-Sulyos, Felse-Ungur, Kappon, Kis-Harkan, Beyke, Ebres-Bodon, Uyfalu, Malom-Szegh, Zelye-Falva, Bozdasa, Zalatha, Kis-Sáry, Beulkencz, Zerdehely, Kemes, Csepel, Pysky, Lak, Adoryas, Kőrös, Kényel, Baad, Sárosthó, Uy nép, Makrad, Zabolcz, Paly, Palkonya, Csehy, Rév-Falu, Velenceze, Gegyren-Falva, Zeüren, Lanka, Letenye, Zapajcza, Thésen-Falva, Thomatheleke, Zthara, Modraly, Wometh-Falva, Markoos, Keürthvelges, Thárnay, Vech-Kacz, Gerécz, Szivet-hosyncz, Petrincz, Arky-Laaz, Predika, Neükes, Zenthuid, Rathan, Vakar.^{e)}

Anno 1456. magistratus et castellani palatini in castro Siklós Joannem a Capistrano, ut ad se veniret, invitant sequentibus literis: „Reverendissimo P. Dom. Fr. Joanni de Capistrano, per Hungariam Praedicatori Apostolico, et pravitatis haereticae Inquisitori, Patri nostro honorandissimo. Reverendissime Pater. Mira famae per mundum patentis universum V. R. P. nos inducunt ad eandem habere recursum affectuosum, in qua nimirum nihil aliud nisi pabulum verae salutis reperitur, et nos proinde summo desiderio desideravimus videre diem hanc, qua in his partibus vestigia gressuum R. P. V. cupientes sequi per semina vitae, quae seritis, in nobis messem bonam produceremus. Cum vero nobis non liceat ad V. R. P. proficisci, et ei omnem laudem, et honorem, uti deceat, exhibere, quia ex commissione Domini nostri Comitum Palatini hujus Castri custodiae in periculoso hoc tempore deputati sumus; ideo humiliter oramus,

e) Papánek l. cit.

et supplicamus, quatenus non sparnat nos simul cum hac civitate Palatinali, sed ipsam visitare, et in ea semen verbi Dei a te per magnam Orbis partem fructuose sparsum serere et communicare digneris, ut tandem participes hujus gratiae effecti, Deo gloria, laus, et honor, animabus nostris ingens lucrum, et Domino nostro Palatino summa accedat laetitia. Ut vero magis viva voce V. R. P. urgeat, mittimus Religiosum et gravem Virum Fr. Fabianum harum latorem, cui nostro nomine placeat omnem adhibere fidem.

Datum Siklos feria 6. post Festum Ascensionis Anno 1456.

Vestri humiles servi et devoti filii

Magistratus et Castellani, ac
domestici D. Palatini in Castro
de Siklos.¹⁾

Tunc temporis palatinus erat Ladislaus Gara, et quidem annis 1447.—1458.²⁾ Decedente anno 1480. Michaelae Gara sine heredibus castrum Siklós cum opulentissimo dominio, ad fiscum regium devolutum est. Ditionem hanc familia Perényiana secundo seculi 16-i decennio ab Uladislao II. obtinuit. Cum enim Emericus Perényi palatinus immemor gentis et patriae suae ad regis hujus ac Maximiliani caesaris partes deficiens, eorum votis de futura domus austriacae successione subscripsisset, ab imperatore titulo principis S. R. I. a rege vero castro Siklós, amploque ejus dominatu donatus exstitit; titulo attamen principali nec ipse, nec posteri ejus unquam usi sunt.³⁾

¹⁾ Koller III. — ²⁾ catal. palatin. in corp. jur. hung. II.

³⁾ Horváth M. II. item: Ismerettár VIII.

Familia haec dominium istud nequidem per triginta possidebat annos in pace, nam occupato per Turcas anno 1543. castro Siklós, disjectis incolis, quassata tota per gyrum plaga, dominium funestam induit faciem. Luctuosam Siklosii expugnationem Istvánfyus hisce nobis describit: „Itum illinc (nempe Valpova) est ad Soclosiam, quatuor milliarium spacio distantem, Perenianae similiter dicionis arcem, cum subjecto Oppido. Praeerat ei Michael e Carolio Oppido ultra Tybiscum oriundus, cognomento ferreus, (puta Mich. Vass.) sed qui potius plumbeus fuisset dicendus. Ad famam enim adventantis Turcarum exercitus, Oppidum, quod defendi per aliquot dies poterat, deseruit, et ignave trepidanterque se in arcem recepit. Ea arduae rupi imposita, satis firma moenia habebat, memorabilis carcere obscuro, et octoginta passus profundo: in quo avorum nostrorum memoria Sigismundus Imperator Romanus, idemque Pannoniae Rex, a Nicolao Marcellio Palatino, ac Senatu Ungarico captus, custoditusque semestrem captivitatem tolerasse traditur. Conspectis demum castris, et infinita Turcarum tabernacula tendentium multitudine, extremo perfusus metu, unum ex Turcis, quos captos habebat, compedibus solutum, promissa libertate ad Cassonum, quem Budae paucos ante annos Classis Praefectum noverat, mittit; seque arce tradita excessurum nunciat, si ei de vitae, rerumque incolumitate, ac sociorum salute caveatur. Re ad Sulymanum a Cassone perlata, facile obtentum est; ac literas aureis literis scriptas, quibus Michaeli, et Sociis liberum, securumque iter concedebatur, captivus libertate recuperata laetus retulit;isque fides servata, comitesque adjuncti, qui eos ad tutiora loca deducerent. In

itinere tamen a Turcis, qui collocatis insidiis vias obsederant, caesi ex eis plurimi, rebusque omnibus spoliati fuere. Sulymanum ferunt haud mediocri laetitia, occupato oportuno loco affectum, quod nec invalidus esse videretur: sibi que, si vi admota expugnandus fuisset, magnam majoribus rebus gerendis moram attulisset. ^{a)})

Libet insuper rem hanc attinentia, quae Joannes Martinus Stella in epistola sua narrat, ut fragmentum reddere: „Proxima fuit, de locis loquor, in quorum munimentis ulla spes fuit resistendi, Soclosia; Oppidulum primo impetu captum, direptum, et incensum fuit. Qui vero in arcem confugerant, principio obsidionis pacti sunt inducias quatuordecim dierum; intra quos dispicerent, quid sperare deberent subsidii, aut quibus conditionibus sese dederent. Termino lapsio confisi munitionibus, sita enim est loco natura et opere munitissimo, vim vi repellere sunt conati. Ac primis aliquot diebus se valde strenue gesserunt; praesertim cum se a cuniculis Turcarum, quos XII. millibus fossorum agere instituerant, tutos et satis firmos esse intelligerent. Postquam adductae machinae, ac ex contiguis arci aedificiorum prius exustorum ruinis multam murorum partem humi prostratam viderunt: diffisi se posse ulterius tam violento hosti resistere, etiam ipsi dedicionem fecerunt; ea conditione, ut libera corpora et res suas secum salvas auferre liceret; quae res pauperibus saluti, ditioribus omnibus exitio fuit; tenuioribus enim omissis, reliqui ob suspicionem praedae et divitiarum interfecti poenas ignaviae solverunt. Nam si animum induxissent,

a) Koller V. 272.

sola victoria, neque pactione pacem pariendam esse; et locum, et vitam, et res suas procul dubio conservassent. Fuerunt itaque reliquis omnibus exemplo, quantum fidei Turcarum promissis aut pactis sit adhibendum. — — — Dum igitur arcem Soclosiam obsidet (Turca), dediderunt se loca vicina, uti imperatum erat, omne genus commeatum in castra detulerunt. Principio jubet omnes Judices Pagorum sibi praesto adesse; statim paretur; obedientibus deinde imperat, ut postridie singuli cum sibi subditis rursus adsint. Cum et hoc pro imperio sedulo factitatum esset; ille, nescio sane quam opinionem de se relinquere volens, jussit, inspiciente exercitu, ad unum omnes trucidari. Hoc facto puto nobis plus roboris ex ejus immanitate et inclementia, quam illis bonae fama aut potentiae accessisse.^{b)}

De anno 1561. habetur conscriptio plurium ad dominium olim familiae Perényianae pertinentium locorum pro servitiis ac solutione ad arcem, nimirum: *Belkewz* cum pertinenciis, videlicet: *Belkewz, Zaboch, Paaly, Palkonia, Chehy, Gherenfalva, = Kemes, Pysky, Lak, Koros, Kengiel, Raad, Saarosto, Wynep, Zerda-hel* et *Chiepel*. Gabrielis Pereny. Paulus Bottka et Gregorius Kooz Judices fatentur sub Juramento contineri in possessionibus Colonorum Sessiones 40. Item quod duobus annis universam dictam Pertinentiam ad arcem Zyghet tenuissent. Soluerunt autem hiis duobus annis 58. et 59. ad arcem Zyghet fl. 66. den. 26. et ipsis duobus annis porcos 31. Birsagium extorsit super eos Marcus Horwat fl. 60. de Molendinis 14. soluerunt fl. 24. de Molendinis in Mays et

b) Ibid. 292.

Zylzeg habitis soluerunt per id tempus fl. 27. decimas Anni 58. vini cub. 72. per pintas 6. tritici cub. 261. siliginis cubulos 37. Auene cubulos 78. ordeï cubulos 17. larda vero 29. decimas Anni 59. vini cubulos 185. per pint. 6. tritici cubulos 166. siliginis cub. 42. $\frac{1}{2}$. Auene cubulos 44 $\frac{1}{2}$. ordeï cubulos 5 $\frac{1}{2}$. Anno 60. soluerunt decimas vini cub. 253. Tritici cubulos 132. silig. cubulos 6 $\frac{1}{2}$. Auene cubulos 44 $\frac{1}{2}$ ordeï cub. 3. De dica Anni 57. tantum 10. flor. soluerunt. Anni vero 59. flor. 46. d. 50.

Saary olim Volfgangi Bornemiza nunc Simonis Bachmegey. Jacobus Kaza Judex fassus est ibidem contineri colonos 5. Inquilinos 7. desertas 2. Decimas soluerunt ad arcem. Anno 58. tritici cubulos 20 $\frac{1}{2}$. Anno 59. tritici cubulos 15 $\frac{1}{2}$. Anno 60. pro cubulis 13 $\frac{1}{2}$. fl. 13. d. 50. Dicam Regiam soluerunt de portis 5. Anni 59. cum addicione 20. denar. facit flor. 6.

Harkan Gabrielis Pereny. Andreas Warga Judex fassus est ibidem contineri sessiones colonorum 4. Inquilinos 4. desertas 10. Judex anni 58. mortuus est. Anno 59. censum ad arcem soluerunt fl. 6. d. 50. decimas eiusdem anni tritici cub. 33. vini tinas 6. per pintas 24. lardum unum emptum fl. 2. d. 32. Anno 60. tritici cub. 17. vini cub. 80. Dicam Regiam soluerunt de portis 11. iuxta regestum dicatoris.

Ghewnteer et Tootfalw. olim Heremitarum de Baych. nunc Simonis Bachmegey. Benedictus Ghewntery Judex fatetur ibidem contineri colonos 15. Inqu. 2. Omnem proventum Domino eorum dederunt. Dicam Regiam soluerunt de portis 6. anno 59. cum addicione 20. denar.

Kys Harsaan, Gabrielis Pereny. Laurentius Chiokmay et Dionisius Chiokmay Judices fassi sunt

contineri ibidem colonos 10. Inquilinos 6. Annis 58. et 59. censum ad arcem soluerunt fl. 42. decimas anni 59. tritici cub. 14. vini tinas 9. Vini Juris montani ako vocata tinas 10. Anno 60. tritici cub. 15¹/₂. vini cub. 42. Dicam Regiam soluerunt de portis 4. Juxta regestum exactoris.

Chiokna, Eiusdem. Laurencius Zabo Judex fassus est ibidem contineri colonos 3. Inqu 2. desert. 3. Simoni Bachmegey Vicecapitano Marci Horwat administrauerunt anno 58. fl. 25. Anno 59. decimas ad arcem dederunt vini cubulos 52. Dicam Regiam soluerunt de portis 4. cum addicione 20. denar.

Magy, Gabrielis Pereny. Egidius Kyrál Judex fassus est contineri ibidem Colonorum sessiones 17. Inqu. 6. dicit vniuersum prouentum et decimas annorum 58. et 59. Matheo Zekchewy administrasse. tandem ad rationem Pereny occupati, anno 60. decimas ad arcem Zyghet administrauerunt tritici cub. 13. Ittem dicunt ut pro laboribus arcis soluerunt Matheo Zekehewy fl. 12. Dicam Regiam soluerunt Anno 59. de portis 9. cum addicione 20. denar.

Abraham Tottia. olim Abbacie Sancte Trinitatis, nunc Simonis Bachmegey. ex permissione Episcopi Quinqueecclesiensis. Laurencius Dauch fassus est colonos 16. Censum ad arcem in duobus terminis Anno 58. et 59. semper flor. 3. denar 74. que faciunt flor. 7. d. 48. Anno 59. decimas tritici cub. 7. Pro cubulis vini 16. soluerunt fl. 4. Anno 60. Eidem Simoni Bachmegey decimas dederunt. Dicam Regiam soluerunt de portis 4. iuxta regestum exactoris.^{a)}

Dominante in his partibus Turca Siklósini de-

a) Koller VI.

gebat christianus Tesculai, qui possidebat Gyüd, ipsum vero oppidum Siklós cum majori vicinia suae parte sultano praestabat vectigal.^{b)} Occupata anno 1686. Buda, cum minutiora expugnare perrexit propugnacula exercitus caesareus, post deditas Quinque-Ecclesias Siklósinum hosti solo oppugnationis metu extortum est, qui non exspectata vi ultroneam dedicationem fecit arcis.^{c)}

Profligato hoste arx Siklós cum tota dynastia donatione regia in possessionem mareschalli Aenneae Comitum Caprara devoluta est. Ad hanc dynastiam anno 1699. spectabant sequentes possessiones impopolatae: oppidum *Siklós, Nagy-Harsány, Tótfalu, Kis-Harsány, Gyüd, Vizsló, Adriasek, Kenkel, Márfa, Nagy-Harkány, Terehegy, Szerdahely, Kőrös, Raad, Piski, Kémes, Kovács-Hida, Csepelly, Tészentfa, Czun, Palkonya, Cseli, Szaporcza, Ipacsfa, Isztro*; (quorum nonnulla loca ob incursum rebellium Rascianorum deserta sunt.) Possessiones vero non impopolatae hae fuere: *Babócsa, Gentir, Csokma, Kis-Harkán, Deseg, Lak, Gerinfa, Szaporcza, Páli, Peike, Sároostó, Akal, Kopán-Sári.*

In collectione annatarum papalium plura horum locorum memorantur: anno 1332. *Sacerdos de Vizlo solvit 100. banales*; — 1333. *Stephanus Sacerdos de Wysto* (l. Vizsló) — *Nicolaus Sacerdos de Zereda* (Szerdahely); — *Stephanus de Harsan*; — in altera hujus anni solutione: 1333. *Stephanus Sacerdos de Vyslo*; — *Petrus Sacerdos de Gerdesse*, (puta Gordisa, hod. filialis parochiae Siklós); — *Thomas de Kémus*; — *Nicolaus Sacerdos de Zeredahel*; — DD.

b) Papánek, 108. — c) Ibid.

Sacerdos de Harasci, (hod. Haraszi fil. ad Siklós;) — *Dominicus de Horsan*; — *Bank Sacerdos de Noglfoki*; *Blasius Sacerdos de Koppan*. — in tertia ejusd. anni collectione: 1333. *Petrus Sacerdos de Kordeste*; — *Thomas de Kemus*; — *Nicoleus Sacerdos de Zoradahel*. — 1334. *Jacobus de Goglos*, (l. Soglos;) — *Dominicus de Harsan*; — *DD. de Harasty*. — Denuo hoc anno 1334. *Thomas de Kemus*; — *Petrus de Kerdiste*; — *Stephanus de Vislo*; — *Nicolaus de Ziradahel*; — *Jacobus de Soglos*; — *Blasius de Cappan*; — *Paulus de Zari*, (hod. Sári praedium;) — *David de Haristi*; — *Sacerdos de Nogfalw*, (puta Nagyfalú fil. ad Siklós;) — *Dominicus Sacerdos de Harsan*. — 1335. *Jacobus de Boclas* (Siklós;) — *Dominicus de Arzan*; — *Blasius de Capan*; *Stephanus de Wisklo*; — *Thomas de Kamus*.

Exstant ex eodem seculo alia quoque documenta, locorum quorundam ad gremium parochiae Siklós pertinentium mentionem facientia; quorundam ex his fiat hic memoria:

Anno 1325. aforis: Serenissimo Domino eorum domino Karolo dei gracia inclito Regi Hungarie. pro magistro Emerico, et alys. contra magistrum Petrum de Suklous ad quindenas passce domini citatorie.

Intus: Excellentissimo domino eorum, domino Karolo dei gracia inclito Regi Hungarie, Conuentus monastery Waradyensis oraciones in domino debitas et deuotas. litteras comitis Alexandri Judicis Curie serenitatis uestre nobis transmissas recepimus reuenter, et iuxta earundem continenciam, vnacum Thoma filio Ladizlai de Bezeldeg (h. Bezedek) homine serenitatis vestre, hominem nostrum, Briccium videlicet sacerdotem ecclesie nostre de villa Boborch,

(Babarcz) pro testimonio transmisimus fidedignum, ad citationem faciendam sicut iam exprimetur. Idemque homo serenitatis uestre, cum predicto homine nostro postmodum ad nos reuersus retulit nobis, quod ipse presente homine nostro in die festo beati Gregory pape magistrum *Petrum de Soklous* super villa sua *Sari* vocata, contra Emericum et Egidium de Bechei, Stephanum dictum Tuteus, et Georgium dictum vezeus filios eiusdem magistri Emerici citasset ad presenciam uestre maiestatis. quindenae passce domini nunc uenturas eidem pro termino assignando. Datum in die medie quadragesime. Anno domini M^o. ccc^o. XX^o. quinto.¹⁾

De pago *Nagyfalu*, media hora a Siklós dissito, hodie circ 540. incolas numerante, jam saepius fuit in his pagellis mentio, quod ibidem congregationes ac sedes iudiciariae comitatus Baranya fuerint asservatae. Inter alia etiam haec legimus: magistrum Egidium Bechey coram magistratu de Baranya hanc proposuisse querelam: quod Michaellem de Narragh servientem suum, de domo sua Nicolaus officialis ecclesiae Quinqueecclesiensis et alii hujus ecclesiae jobagiones captivassent captum abduxissent, omniaque bona ipsius abstulissent. Tunc magister Joannes et iudices nobilium de Baranya ex *Nagyfalu*, sede quippe iudiciaria, hominem suum Stephanum Bachay pro investigatione miserunt, qui dictum Michaellem in captivitate „in *Cipou*“ invenit, et omnia praemissa ita facta fuisse rescivit. etc.²⁾

Anno 1345. conventus Pécsváradensis testatur:

¹⁾ Zichy-cod. I. n. 290.

²⁾ Ibid. n. 321.

quod coram se constituti fuerint ex una parte Stephanus, filius Petri de *Siklós* (Soklous,) item Nicolaus filius Pauli de Sancto Georgio pro se, et pro Georgio filio Joannis. Idemque magister Stephanus voce viva confessus est: quod ipse aequalem dimidietatem cujusdam hereditariae possessionis suae *Tót-falu* vocatae, prope eandem *Siklós* existentis, a parte meridionali adjacentem, cum omnibus suis utilitatibus excepto jure montano, supradicto Nicolao et Georgio pro viginti et duabus marcis, per spatium quinque annorum obligasset etc.³⁾

Hujusmodi relationes de eadem possessione *Tót-falu* et castro *Siklós* facit idem conventus anno 1352. (uti ibid. habentur sub nris 318. et 365.)

* * *

Castrum *Siklós*ense mareschallus *Caprara* reparari curavit, ast quominus salubre suum conamen in effectum deduceret, inopina praevertit mors.*) Post hujus fata oppidum *Siklós* cum tota dynastia in possessionem familiae *Batthyániana*e venit, quae arcem ex ruinis phoenicis adinstar splendidissime exurgere fecit.

Hic, si consideremus, quam acerbos viderit patria nostra tam frequenter sibi oriri dies; quanta sub ferreo despotismi jugo gemendo sustinuerit incommoda, et quanta gloria, in hoc regno olim fulgens, implacabili furibundae *Bellonae* face in cineres reducta sit: in sensu sententiae, fronti hujus deductionis appositae, *omnipotenti mundi Gubernatori suppli-*

³⁾ Zichy-cod. II. 110.

*) *Aeneas Caprara* anno 1681. in comitiis accepit indigenatum. Qua bellidux tempore *Tökölyano* operabatur. (*Nagy Iván III.* 5.)

ces nos fieri oportet: ut Regno huic Mariano firmissimo sit praesidio, quo ab hostibus externis liberum, una etiam ab intestina invidiae, perfidiae ac proditiōnis peste servetur securum.

Curam parochiae in Siklós anno 1688. PP. Franciscani susceperunt, qui per decretum Leopoldi I. a. 1700. confirmati, ac denuo die 8. Decemb. 1736. per patronam Eleonoram comitissam a Batthyán, natam comitissam a Strattman in exercitio sacrorum constabiliti exstitere. Ex elemosyna extruxerunt filii seraphici ecclesiam et monasterium. At cum ecclesiae et domui religiosae obsesset domuncula ruinosa cujusdam civis Josephi Kapusi, hanc pro parte residentiae una cum fundo redemit 12. flnis *P. Nicolaus Andrásy* praesidens 1727. quo anno alteram quoque domum cum fundo 30. flnis coëmerunt patres a Joanne Sauricz. Religiosi hi per elemosynas in filiali loco gratioso Maria-Gyüd large confluentes ad annum 1743. ecclesiam perfecerunt, quae in longitudine 20. in latitudine 4¹/₂. orgias habet. Eotum etiam tractus claustris orientalis et occidentalis excitatus exstitit, quos ut debite obtegerent, totam architecturam duplicem et solidam coëmerunt a cive Petoviensi in Styria Martino Thaurga, hujus artis gnaro, pro 800. fl. quod factum est 6. Julii e. a. sub regimine *P. Timothei Bakonaky* guardiani. Clausuram constituere moenia per gyrum, ex parte septentrionali sepes circumdabant conventum. Sed postquam sacellum 14. Auxiliatorum cum omnibus appertinentiis a. 1751. exstructum fuisset, et sub *P. Anselmo Laczkovics* turre 1755. perfecta esset, *P. Hermannus Herbert* 1757. muro aream, porta majori provisam, item aliquod exiguum et antiquatum coemeterium, nec non

totum conventum clausit. Cum in conventu culina esset nimis angusta et fumo vexata, ad instantiam *P. Erasmi Halász* guardiani princeps Carolus de Bathyán novam substitui curavit; nam antiquae cujusdam turris, quae in loco ampliandae culinae exstitit, demolitionem, hujusque materialia ad aedificium culinae converti mandavit, adjectis 100. imperialibus in parato anno 1769., insequenti vero anno ad ostium culinae in area excitata est domus famulitiae. Idem benignissimus princeps pro evehendo tractu australi (ut claustrum sit in quadro) demolitionem muri meniorum 1771. indulsit, in quem finem 60. kilas calcis et 28,000 tegularum, 60,000 laterum coctorum resolvit. Pro architectura dicti tractus ligna suppeditavit Ladislaus Igmándy de Boldogasszonyfa.

Ecclesia conventualis una parochialis honoribus *SS. Trinitatis* sacra habet praeter aram majorem sequentes laterales: B. M. V. Dolorosae, S. Antonii, S. Annae, S. Joannis Nep. S. Francisci Seraph. et sacellum 14. Auxiliatorum. Stante anno 1721. visitatione canonica templum istud tristem adhuc faciem exhibuit, nam in eodem instrumento legere est: Ipsa ecclesia olim contestante insigni in fornice Sanctuarii sculpto ordinis S. Benedicti, nunc (ut praetenditur) per Commissionem Suae Mattis Sacratissimae Reverendorum Patrum Franciscanorum Prov. Ladislaiana; aedificata ex solido muro, et honori *SS. Triadis* dedicata, nec non scandulis bene sarta tecta, continens in se Aras tres, quarum prima seu major *SS. Trinitatis* constat ex imagine rudi penicillo picta, et listae decoloratae inclusa; 2-da ex parte Epistolae Divi Antonii Paduani; 3-ia ex parte Evangelii Magnae Matris et Virginis. Haec Ecclesia Parochiano-

rum contributo aere comparatam campanam habet unicam.

Eadem occasione de ecclesia filialis *Nagy-Harsány* refertur: Ipsa ecclesia partim ex lapide, partim ex tegula exusta ad normam ritus Catholici solide erecta, et lateralibus fulcris a foris ex mera excocata tegula erectis suffulcita est. — Haec ecclesia, uti antiquitas prodit, olim catholicorum dicata erat honori *S. Barbarae V. M.* cujus turris asservata hac visitatione stetit quidem ceu antiquum monumentum, ast in tertialitate ruinata erat. Etiam antiquae sacristiae eotum adhuc rudera conspiciebantur; circa ecclesiam vero erat coemeterium.

In oppido Siklós praeter ecclesiam SS. Trinitatis habetur elegantis structurae sacellum in arce *Conceptionis B. M. V.* longum 11. latum 3. org.

In coemeterio oppidano habetur sacellum *S. Crucis* crypta provisum, ac per familiam Batthyániannam erectum, initio Maji 1778. coeptum, versus finem anni 1780, consummatum; habet aram unicam Crucifixi. Hocce sacellum die 10. Dec. 1780. per *Ladislaum Lukries* v. a. d. et parochum Németsensem, ducta illuc ex ecclesia conventuali solemniprocessionem, benedicta exstitit, ibique mox per eundem v. a. d. primum offerebatur missae sacrificium. Terminatis inibi sacris functionibus processio redux in villam granarii dirigitur, ubi statua lapidea *S. Floriani*, cura et expensis domini erecta, benedicitur.

Die 22. April. 1783. feria 3. Paschae erecta est crux lapidea Siklósini in coemeterio, per *Mathiam Gyurics* v. a. d. et parochum Izsépsensem benedicta.

Eodem anno super antiqua rudera in filiali *Tapolcza* per comitissam Barbaram a Batthyán excitata

exstitit capella *S. Crucis*, ab eodem v. a. d. Izsépen-
 seni sacro ritu die 15. Octobris expiata. Eotum fuit
 etiam coemeterium circa eandem capellam bene-
 dictum.

Hoc ipso anno die 22. Julii filialis *Sz. Márton*
 novam campanam unius centenarii accepit in campa-
 nili appensam. In eodem filiali ad dynastiam Casi-
 miri Com. *Eszterházy* spectante aedificata fuit ca-
 pella *S. Martini Ep.* per ipsum dominium *Dárda*,
 die 11. Nov. 1797. per localem guardianum *P.*
Rajmundum Kelemen solenniter benedicta, dicente
 sermonem *P. Brunone Odiczky*, vicario conventus ac
 concionatore illyrico.

Notari adhuc meretur isthic funestus, qui anno
 1704. evenit casus, quo per crudelitatem ac saevi-
 tiam schismaticorum occasione incursionis *Rákóczy-*
anae fideles *Siklósenses* ad summum terrorem et an-
 gustias redacti sunt. Dum milites confiniarii *Slavo-*
niae ac *Croatiae* inquietos *Rákóczyanos* repressissent,
 hi rabidi et furibundi schismatici opportunitate diu
 exspectata usuri aedes sacras antiquo odio incensi in-
 vadunt, furorem in ministros Christi effudere. In
 templo *SS. Trinit.* congregatos homines interemerunt
 omnes, sanctorum simulacris ludibrio habitis sceles-
 tis suis pedibus calcarunt. Impium hoc scelus *P. Do-*
minicus Horváth, praesidens videns, in visceribus
 commotus, doloreque injuriae tactus arrepta cruce
 lignea in medium furibundorum agmen ante portam
 residentiae saevientium se iniecit, rei immanitatem
 verbis, quo potuit gravioribus exaggeravit, rogavit-
 que pro populo. Hac sua erga proximos charitate
 perditissimorum hominum odium sibi comparavit, ra-
 biem provocavit, quam ut declinaret, festino passu

coenaculum petiit, unde violenter raptus in atrio absque misericordia capite minuitur. Sed necdum furor sedatus est, nam *P. Ludovicum Czvetkovich* actualem concionatorem in horto deprehensum barbaro plane more e medio sustulerunt; nam inventus est, qui ambas eidem auriculas amputaret, alter qui utramque manum abscinderet, tertius nomine Golnoga incola Siklósenis schismaticus, putans obsequium se praestare, animam agentem glande plumbea enecuit. Hos duos ad palmam martyrii secutus est *P. Joannes a Brodio*, prov. Bosnae Argent. actualis parochiae in Miholjac administrator, quem nefarii in porta oppidi Siklós ictu sclopi sustulerunt e medio viventium. Dein domos catholicorum diripiunt, et totam urbem caedibus et rapinis foede miscent, ac multo plus de internatione sacerdotum omnium contendunt, nefariaeque consilia ineunt. Atque inde adoriuntur etiam parochum Berementensem *Michaelem Szokolovics*, vesanos mactatores declinantem, salutisque causa Siklósinum contendentem, quem in medio urbis foro impiis et sacrilegis concidunt gladiis. Horum interemptorum sacerdotum corpora debito honore in aede SS. Trinitatis ante aram majorem condita sunt. Ut autem pientissima eorum memoria vigeat, effigies eorum coloribus adumbratae in ambitu versus chorum ducente hodiedum asservantur. Haec acciderant diebus 24. et 25. Martii 1704. ipsis solemnioribus festis paschae, sive quatuor hae victimae e gremio sacerdotum ad mensam coelestem Agni paschalis (ut pie sperare licet) evocatae sunt.^{a)}

Parochia Siklósenis sequentes habet hodie sibi

a) Hist. oppidi Siklós manuscr. in biblioth. convent.

adnexas filiales: *Gordisa*, *Haraszi*, *Kis-Hársány*, *Maty*, *Nagyfalu*, *Nagy-Hársány*, *Nagy-Tótfalu*, *Old, Sz.-Márton*, *Tapolcza*; omnes praeter Sz.-Márton acatholicis fere solis praebent sedes; item praedia Gyűrűs, Sári et Vörös.

Curam animarum mox depulso hoste filii S. Francisci Seraph. in se susceperunt exstruentes isthic (ut supra dictum est) residentia, quae anno 1733. in conventum elevata est. Superiores hujus monasterii semper administratores parochiae erant, qui sequenti ordine chronologico semet exceperunt; quae tamen series hinc inde ob defectum documentorum hiatus quosdam pati debuit.

I. (anno 1687.) **P. Elzearius Pavics**, 1658. *Varasdini* in Croatia natus; — professus 1683. 9. Sept. ordinatus 1685. — † *Ormosdini* 1721. 26. Nov. aetat. 64.

II. (1698.) **P. Thomas Kraljevics**, 1657, in *Kalnik* Croatiae loco natus; prof. 1685. 4. Mart. sacerdot. factus 1686. — † in *Gyüd* 1724. 27. Nov.*)

III. (1702.) **P. Dominicus Horváth**, 1675. nat. in Croatiae pago *Belletinecz*; prof. 1695. 8. Aug. ordin. 1699. — a furentibus militibus rascianis 1704. 24. Mart. *Siklósini* crudeliter mactatus, ipsis festis paschalibus ut victima paschalis ad coelum assumitur, dum vixisset in hac lacrymarum valle annos 29.

IV. (1705.) **P. Antonius Sesselyi**, Croata in *Sasinovec* 1684. progenitus; profess. 1704. eod. anno sa-

* in conventu 5.-Ecclesien. (Recens. t. I. p. 330.) erronee habetur dies obitus 24. Nov.

cerdos factus. — † qua praesidens *Siklósini* 1716. 15. Aug. aet. 32.

V. (1716.) P. Ladislaus Szente, nat. 1669. in *Csesztreg* comit. Szaladien. prof. 1690. 29. Maj. ordin. 1693. — † *Quinque-Ecclesiis* qua praed. lect. et iterat. ex-minist. 1726. 8. Dec. aet. 58.

VI. (1725.) P. Nicolaus Andrásy, antea *Quinque-Ecclesiis* superior (vid. ib.) — † *Siklósini* 1729. 2. Febr. aet. 48.

Hic intercedit hiatus.

VII. (1733.) P. Joannes Bapt. Bellanovics, (primus guardianus) nat. 1705. 30. Nov. in *Ivanec* prope *Varasdinum*; prof. 1722. 18. Aug. sacer. 1729. — † *Zagrabiae* 1751. 26. Febr. aet. 46.

VIII. (1738.) P. Antonius Fabsics, in cottus *Castriferrei* loc *Inczéd* 1682. 9. Nov. progenitus; prof. 1707. 27. Januar.; primit. *Varasdini* 1710. 23. Octob. — † *Siklósini* 1751. 12. Febr. aet. 69.

IX. (1741.) P. Damasus Algajer, 1702. 20. Aug. *Monachii* in Bavaria natus; prof. 1723. 2. Jul.; primit. *Varasdini* 1726. 28. April. — † *Kanizsae* 1766. 21. Jun. aet. 64.

X. (1743.) P. Timotheus Bakonaki, nat. 1710. 4. Octob. *Kanizsae*; prof. 1731. 8. Sept.; primit. *Siklósini* 1735. 17. Jan. — † in *Següsd.* 1760. 1. April. aet. 50.

XI. (1751.) P. Anselmus Laezkovics, nat. *Quinque-Ecclesiis* 1710. 22. Nov.; prof. 1731. 9. Aug.;

primit. 1734. 11. Jul. in loco natali; — † in *Atád* 1758. 30. Octob. aet. 48.

XII. (1753.) P. Antonius Antal, in *Merenye* 1717. 23. Junii natus; prof. 1737. 8. Sept.; primit. *Kanizsae* 1740. 1. Januar. ubi postmodum etiam letum oppetiit 1786. 31. Maji aet. 69.

XIII. (1755.) P. Hermanus Herbert, 1724. 28. Aug. *Varasdini* vitam inchoavit; profess. 1741. 8. Sept.; primit. in *Verbovecz* 1748. 18. Febr. — † in *Gyüd* 1782. 4. Jan. aet. 59.

XIV. (1758.) P. Thaddaeus Barics, 1715. 8. Mart. in *Lendva* natus; prof. 1735. 8. Sept.; primit. 1739. 13. Junii in *Maria-Gyüd*; et isthic mortali seculo eripitur 1775. 27. Maji aet. 61.

XV. (1760.) P. Silvester Tarr, in *Zala-Egerszeg* 1712. 14. Febr. ortum habuit; prof. 1732. 29. Sept.; primit. *Szigetvárini* 1736. 23. Sept. — † *Siklósini* 1782. 19. Nov. aet. 71.

XVI. (1764.) P. Apollinaris Horjács, nat. 1730. 26. Octob. *Kanizsae*; prof. 1751. 14. Sept.; primit. in originis loco 1755. — † in *Següsd* 1792. 7. April. aet. 62.

XVII. (1766.) P. Erasmus Halász, in *Lenti* comit. Szaladen. 1728. 19. Jul. prognatus; prof. 1748. 8. Sept.; primit. 1752. 10. Sept. in *Kaposvár*. † — *Siklósini* 1792. 20. April. aet. 64.

XVIII. (1770.) P. Antonius Anfal, qui supra.

XIX. (1773.) P. Zacharias Scheib, in *Lendva*

1741. 21. Jun. vita donatus; prof. 1758. 8. Sept.; primit. in loco natali 1765. 11. Nov. — † *Varasdini* 1799. 26. Januar. aet. 58.

XX. (1775.) **P. Samuel Horváth**, *Quinque-Ecclesiis* 1742. 4. Febr. in lucem susceptus; prof. 1759. 8. Sept.; primit. *Zagrabiae* 1766. 1. Januar. — † *Quinque-Ecclesiis* 1792. 25. Febr. aet. 50.

XXI. (1776.) **P. Romualdus Dencsár**, *Kanizsae* 1743. 5. Nov. natus; — † in *Apathin* qua capellanus hospitalis 1789. 8. Junii aet. 46.

XXII. (1778.) **P. Honoratus Chinorányi**, nobili genere 1742. 25. Januar. *Kanizsae* ortus; prof. 1759. 8. Sept.; primit. ibidem 1765. 16. Junii; — ibi etiam decessit 1787. 14. Febr. aet. 46.

XXIII. (1782.) **P. Rajmundus Kelemen**, *Lendvae* 1739. 22. Maji conspexit mundum; prof. 1758. 8. Sept.; primit. *Zagrabiae* 1763. 11. Sept. — † *Kanizsae* 1802. 14. Mart. aet. 44.

XXIV. (1794.) **P. Capistranus Vassanics**, ex stirpe nobili 1742. 25. Januar. *Quinque-Ecclesiis* prodiit; prof. 1759. 8. Sept.; primit. *Remeticii* 1765. 6. Octob. — † *Szigetvárini* 1829. 25. Decemb. annor. 88. demto mense uno.

XXV. (1799.) **P. Gaudentius Göncz**, 1741. 27. Sept. in *Lenti* natus; prof. 1764. 24. Sept.; primit. in *Kajdacs* 1768. 16. April. — † 1820. 26. Octob. *Quinque-Ecclesiis* aet. 80.

XXVI. (1800.) **P. Gerardus Molnár**, in *Sz. Mihálfa*

prope Vasvár mundum 1748. 24. Dec. intravit; prof. 1767. 8. Sept.; primit. in *Sz. György-Völgye* 1773. 12. April. — † in *Atád* 5. Jul. 1806. aet. 58.

XXVII. (1803.) **P. Sigismundus Balogh**, in *Karancs* comit. Baranya 1745. 20. Mart. ex nobili prosapia progenitus; prof. 1769. 8. Sept.; primit. in *Német-Márok* 1774. 18. Sept. — † *Quinque-Ecclesiis* 1820. 22. Nov. aet. 76. ut sacerdos jubilaris.

XXVIII. (1804.) **P. Quirinus Schnader**, *Lendvæ* 1742. 4. Junii natus; prof. 1763. 8. Sept.; primit. ad *S. Elisabeth* infr. Varasdinum. — † *Siklósini* 18. Mart. 1808. aet. 66.

XXIX. (1807.) **P. Rudolphus Rohonczi**, in cottus Castrif. loco *Ujfalu* 1744. 2. Januar. in mundo comparuit; prof. 1764. 8. Sept.; primit. in *Sz. Miklós* ejusd. comit. 1769. 1. Januar. — † *Siklósini* 1817. 14. Sept. aet. 74.

XXX. (1812.) **P. Cajetanus Kedly**, in *Körmend* 1778. 2. Octob. in lucem venit; prof. 1802. 5. Sept.; primit. *Zagrabiae* 1803. 20. Nov. — † *Quinque-Ecclesiis* 1824. 24. Nov. aet. 47.

XXXI. (1815.) **P. Martinus Juhász**, *Quinque-Ecclesiis* 1782. 2. Maji natus; prof. 1803. 19. Nov.; primit. 1806. 25. Mart. domi; — † *Siklósini* 1847. 6. Mart. aet. 65.

XXXII. (1818.) **P. Liborius Balogh**, in *Vakonya* filiali ad *Bánok-Sz.-György* comit. Szaladien. 1780. 12. Januar. progenitus; prof. 1802. 5. Sept.; primit. *5.-Ecclesiis* 1804. 29. April. — † *Kanizsac* 1862. 6. Mart. aet. 83. sacerd. jubilar.

XXXIII. (1822.) **P. Thomas Szitár**, 1782. 28. Jan. in *Atád* natalitia accepit; prof. 1803. 30. Jan.; primit. in loco originis 1805. 14. Sept. — † *Siklósini* 1844. 11. Febr. qua actualis guardianus, completo anno aet. 62. cum quindena.

XXXIV. (1824.) **P. Dominicus Tóth**, *Kanizsae* 1788. 8. Julii natus; prof. 1809. 8. Julii; primit. 1811. 2. Aug. in loco natali; — † 1. Julii 1865. in *Atád* aet. 77. complet. qua jubilaris sacerdos.

XXXV. (1827.) **P. Sebastianus Horváth**, in *Komlósd* prope Babócsa 1789. 29. Octob. in mundo comparuit; prof. 1810. 4. Nov.; primit. in *Bakonya* 1813. 2. Mart. — † in *Atád* 1838. 19. Januar. aet. 49.

XXXVI. (1830.) **P. Thomas Szitár**, qui supra.

XXXVII. (1833.) **P. Martinus Juhász**, qui supra.

XXXVIII. (1840.) **P. Thomas Szitár**, tertio in guardianatu confirmatus, huic 1844. immortalus est.

XXXIX. (1844.) **P. Innocentius Kovács**, in *Sztrelcz* comit. Szaladen. 1779. 29. Maji natus; prof. 1802. 5. Sept.; primit. in *Bagonya* 1803. 17. Sept. — † *Csáktornya*e 1861. 28. Aug. aet. 83. ut jubil. sacerd.

XL. (1846.) **P. Stanislaus Szekeres**, in *Sz. András* comit. Szalad. 1799. 18. Julii hominem induit; prof. 1820. 18. Sept.; primit. 1822. 13. Octob. — † in *Szigetvár* 1875. 22. Octobr. ut sac. jubil. aet. 76.

XLI. (1850.) **P. Romualdus Vajda**, *Kaposvárini* 1809. 16. Mart. progenitus; prof. 1831. 31. Octob.; primit. 1834. 20. April.

XLII. (1855.) **P. Vincentius Aszalay**, in Galambok comit. Szaladen. 1813. 30. Octob. vitam coepit; prof. 1836. 29. Sept.; primit. 1839. 18. August. — † in Següsd 1871. 13. Mart. aet. 58.

XLIII. (1857.) **P. Wolfgangus Varga**, 1799. 23. Nov. in *Sz. András* comit. Szalad. natus; prof. 1825. 26. Sept.; primit. in *Ráczváros* 1826. 17. Septembr. † in *Atád* 12. Januar. 1879.

XLIV. (1872.) **P. Sigismundus Eger**, 1838. 29. Octob. *Kanizsae* primum traxit halitum; prof. 1859. 29. Octob.; primit. 1861. 18. August. Ex guardianatu *Quinqueecclesiensi* 1872. huc translatus, anno 1879. denuo *Quinque-Ecclesias* remeavit.

XLV. **P. Facundus Vajda**, *Kaposvárini* 1829. 3. Jan. inter mortales primus visus est; profess. 1850. 24. Jan.; primit. 1853. 20. Nov. — guardiantum isthic 1879. aggressus est.

* * *

In eodem conventu Siklóseni defuncti concionatores vel alii sacerdotes religiosi, praetermissis illis, qui aliis locis connotati habentur.

1. P. Ludovicus Czvetkovics, 1670. *Zagrabiae* natus; prof. 1688. 28. Febr.; sacerdos 1694. factus; per grassantes milites 1704. 24. Mart. enecatus est, anno aet. 34.

2. P. Clemens Radicsevics, *Jannicae* in Croatia 1668. progenitus; prof. 1690. 26. Maji; ordinat. 1692. — † 1717. 5. Dec. aet. 50.

3. **P. Thomas Brummen**, *Varasdini* 1701. mundum intravit; prof. 1721. 14. Mart. sacerd. 1724. ordinatus. — † 1730. 10. Febr. aet. 29.

4. **P. Raphael Haas**, *Bavarus*, 1696. 5. Junii natus; prof. 1719. 15. Nov.; primit. *Zagrabiae* 1721. 20. April. — † 1745. 10. Febr. aet. 49.

5. **P. Gerardus Lenti**, in pago cognomine *Lenti* 1726. natus; prof. 1748. 8. Sept.; sacerd. 1750. — † 1758. 5. Febr. aet. 32.

6. **P. Coelestinus Turnovszky**, *Altomonthae* in Bohemia 1709. 13. Febr. vitam adeptus; prof. 1733. 9. Nov.; primit. *Varasdini* 6. Januar. 1737. — † 1758. 5. Junii aet. 50.

7. **P. Zephyrinus Severi**, in oppido *Siklós* 1736. 4. Oct. conspexit lumen mundi; prof. 1756. 8. Sept.; primit. in *Maria-Gyüd* 1760. 8. Sept. — † 1765. 13. Nov. aet. 30.

8. **P. Stephanus Habianecz**, 1730. 17. Mart. aequae in *Siklós* natus; prof. 1750. 21. Dec.; primit. 1755. in loco natali, ubi etiam occubuit 1769. 29. August. aet. 40.

9. **P. Linus Pajduk**, Slavus *Árvensis* 1735. 26. Octob. natus; prof. 1757. 8. Sept.; primit. *5.-Ecclesiis* 1761. 4. Oct. — † 31. Dec. 1783. aet. 49.

10. **P. Prosper Ábrahám**, in *Alibánfa* comit. Szalad. 1736. 27. Mart. natus; prof. 1757. 8. Sept.; primit. in *Vajszló* 1760. 8. Dec. — † 1785. 4. Januar. aet. 49.

II. P. David Dancs, *Lendvae* 1742. 12. Sept. in mundum processit; prof. 1763. 8. Sept.; primit. *Crisii* 1768. 25. Mart. eodemque mense ac die post annos 17. decessit (1785.) aet. 43.

12. P. Andrianus Szigetvári, *Quinque-Ecclesiis* 1737. 24. Sept. vitam accepit; prof. 1755. 8. Sept.; primit. *Ivanicsii* 1760. 5. Octob. — † 1786. 24. April. 49.

13. P. Aquilinus Kovács, in *Pölöskefej*, comit. Szaladen. 1736. 20. Febr. prognatus; prof. 1751. 8. Sept.; primit. in *Büsö* 1761. 18. Oct. — † 1790. 21. Octob. aet. 55.

14. P. Felix Schönleber, in Franconiae loco *Mergentheim* 1750. 24. Dec. annumeratur mortalibus; prof. 1773. 21. Sept.; primum sacrum lectum *Ivanicsii* 1779. 9. Febr. habuit; — † 1793. 2. Febr. aet. 43.

15. P. Cyrillus Rausz, 1726. 2. Nov. in *Ivanec* progenitus; prof. 1751. 14. Sept.; primit. in *Lenti* 1755. 29. Sept. — † 1794. 1. Januar. aet. 68.

16. P. Jacobus Kocsis, *Quinque-Ecclesiis* 1752. 16. Octob. accepit spiraculum vitae; prof. 1772. 8. Sept.; primit. in loco originis 1776. 29. Dec. — † 1801. 20. Mart. ut vicarius conventus, anno aet. 49.

17. P. Bruno Odiczky, in oppido *Veröce* 1743. 13. Maji natus; prof. 1763. 8. Sept.; primit. domi 1767. 29. Sept. — † 1811. 11. Mart. aet. 68.

18. P. Joannes Kolároovics, *Siklósini* 1786. 23. Maj. ortum habuit; prof. 1807. 27. Maji; primit. in *Gyüd* 1809. 10. Sept. — † 1814. 5. Mart. aet. 28.

19. P. Calasanctius Papp, nat. 1807. 26. April. in *Szöcse* comit. Castrif. prof. 1831. 31. Octob.; primit. 1833. 3. Nov. — † 1850. 3. April. qua praed. lect. aet. 43.

20. P. Adolphus Traun, *Vodicae* in Carniolia 1805. 28. Febr. vitam agressus; prof. 1838. 13. Dec.; primit. *Lithopoli* in Carniolia 1839. 26. Maji; — † 1857. 25. Junii aet. 53.

21. P. Petrus Simon, *Sabariae* 1794. 6. Maji progenitus; prof. 1815. 3. Octob.; primit. *5.-Ecclesis* 1817. 25. Aug. — † 1861. 15. Maji completo anno aet. 67. cum 9. diebus.

22. P. Mauritius Guger, in *Öri-Sz.-Márton* comit. Castrif. 1799. 4. August. incunabula accepit; prof. 1827. 19. April.; primit. 1828. 26. Octob. — † qua emer. concionator german. 1875. 30. April. aet. 76.

His additur:

23. P. Simon Szömörics, exminister provincialis, guardianus conventus Quinqueecclesiensis, (Rec. I. 366.) qui die 1. Maji 1879. pro cohonestanda onomasi actualis hujatis guardiani *Siklósimum* venit, eadem die circ. horam 6. vesp. illic in conventu subitanea exstinguitur morte, dum ageret 55. vitae annum; die 3. e. m. officiante Stephano Zsinkó canonico in crypta conventuali reconditur.
